



Hortarius corporis & animi fortitudine, atq; rara prudentia apud Germanos pre&ditus fuit. Hunc sibi Alemanni circa Rhenum habitantes regem elegerunt, eo tempore cum Julianus Romanorum exercitum per Gallias administraret. Itaq; Julianus cum Hortario pacem ini&jt, atq; foedera sanxit, ut reliquis Germaniae principibus facilius resistere posset. Interea Julianus apud Rhenum suspectos habens Alemannorum animos, Hariobaudem Tribunum lingue Germanicæ peritum, nullo conscio, legationis specie ad Hortarium misit, ut specularetur quid confines Germani, qui Romanis nullo foedere iuncti essent, molientur. Hariobaudes reuertitur, & hostilia agi aperit. Itaq; Julianus copias cogit, & Rhenum transire nititur. Coeunt igitur Alemanni prope Moguntiam transitu Cæsarem prohibituri, & obseruaturi ne pons strueretur. Julianus ut pugnacissimam gentem pacaret, quadraginta nauibus milites impositos, in ripam aduersam a castris Germanorum longius, noctu summo silentio exponi iubet. Nihilominus crebros ignes ad pontem, ubi Germani excubabant, præcepit incendi. Hortarius rex Romanis foederatus reges finitimos ad conuiuium tum forte conuocarat. epula more gentis ad tertiam uigiliam noctis extractæ. Discedentes e conuiuio Germani principes in Romanos milites nauibus in Germaniam transvectos incident. Sed tenebrarum equorumq; beneficio euasere. Postea pons Moguntiaci perfectus.